



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

De Præsentia, & Constantia omnium. Cap. IIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

privatę valetudinis, incolumitatisque eas potissimum rationes esse, quę ad Dei gratiam reconciliandam, ad veram peccatorum pœnitentiam, ad prauos vsus emendandos diligentissimę conferuntur. Iis porro officijs, & rationibus neglectis, aut prætermisissis, cetera putabunt parum valere, imò planè inutilia esse, illa verò etiam perniciofa admodum remedia, quę secum peccatum coniunctum habent.

Hęc omnia cum sibi quisq; perpetuò persuasa habeat, tum maximè & priuatis colloquijs, & publicis concionibus non solùm Episcopus, sed Parochi, & concionatores pro suo quisque munere, hominum mentibus quàm diligentissimè inserere studebunt, tamquam semina quædam officiorum ferè omnium Christianorum, quę infra explicata, & demonstrata pestilentibus temporibus præstanda sunt. His porro officijs cogitationum meditationumque certarum, quas eo de genere sibi fideles animo rectissimè conceperint, instructi, non modo nõ languescunt; sed valdè etiam se excitabunt in omnes partes præstandi Christianę caritatis opera.

De Præsentia, & Constantia omnium.

Cap. IIII.

S V M M A R I V M.

- | | | |
|------------------|---|--|
| Episcopi | } | præsentia, & constantia tempore pestis. |
| Parochorum. 3. | | |
| 1 Sacerdotum. 4. | | |
| Clericorum | | |
| Magistratum. | | |
| Populi. 5. | } | Episcopi exemplum, & officium in alijs ad constantiam cohortandis. |
| 2 | | |



In illo vnquam tempore, vel afflictissimo, aut Episcopi sollicitudo, aut Sacerdotum ministerium, aut magistratum, decurionum, & aliorum omnium, qui præsertim prudentia, fortitudine, constantia, caritate, alijsque virtutibus præstant, studio quàm diligentissimo opus est; certè in pestilentia, cuius immanissima vi, repentinoque impetu cuncta, nisi eorum virute fulciantur, breui labuntur, atque ruunt, est maximè necessarium. Itaque ij omnes, singulique labenti patrię, & auctoritate, & exemplo, & muneris commissi officio opera

necessario tempore ferre studebunt: proindeque non modo illam non deserent, ut imperita multitudo aliquando factitare consuevit, ut potè quæ ab omni consilio inops vulgo consternata, ac sola tantum pestis voce percussa, longè refugit; sed in eius custodia, quasique vigilia ita permanebunt, ut à rebus, & publicis, & priuatis, quibus eorum potestate, aut officio, virtuteque succutendum est, oculos nunquam deiciant.

Nec verò in tanta omnium perturbatione, ac trepidatione, animo demisso, & contracto erunt, sed forti, magno, atque adeò paratissimo ad omnia caritatis officia, & ministeria. Neque propterea in incipiti deliberatione versabuntur, aut in quæstionem adducent, quæ ipsi officia necessario præstare debeant, quæ rursus minùs necessaria, quouè illis præstandis deuincti, sed ardenti dilectionis, & pietatis studio incensi, cuncta potius ijs officijs metientur, quæ sibi, in summa ea necessitate, periculouè constitutis, præstari ab alijs maximè velint.

Hanc ipsam porrò rationem, atque usum in populis, etiam finitimis peste, aliaue calamitate ob pestem afflictis, subleuandis, & adiuantis adhibebunt.

Et quoniam cunctis alijs studijs, atque officijs potior, multisque partibus præstantior est spiritalis cura, paternaue caritas, quam Episcopus, Parochi, animarum Curatores, & Sacerdotes, tamquam optimi parentes de filiorum salute solliciti, omni paterno studio conferunt: ideo ipsos in primis admonemus, ut presentes adsint pestilentia tempore, quo fideles opus admodum habent, & ipsius Episcopi auxilio, & eorundem Parochorum, Sacerdotumue ministerio, cum ad cætera omnia caritatis, misericordiaue opera, atque officia, tum maximè ad spiritalia adiumenta, & ad Deum non solum precibus, sanctissimisque orationibus, sed etiam omni alia ratione placandum.

2 Quamobrem ob oculos sibi proposito tam magno populi sibi commisi, periculo, paternaue caritatis viscera indutus, constantique illa Episcopalis animi virtute præditus, quæcumque pietatis officia à parente optimo, filijs præstari afflictissimo illo tempore oporteat, ea studio, & ministerio suo ita præstabit, ut ad omnia caritatis Christianaue opera ceteri homines inflammentur, cum maximè singulari, & egregia illo suo exemplo, tum verò etiam pio quodam ardore sanctarum cohortationum, quas ad Clerum, ad populum, ad magistratus, decurionesque præfertim adhibebit, ut vniuscuiusque studium officiumque tum vniuersè, tum sigillatim excitet, & inflammet, cunctosque in cura suæ officijs constantissimè contineat.

3 Parochi autem, animarumue curatores, tantum abest, ut necessario eo tempore populum, cuius curam gerunt, aliquo modo destituant, ut fixa animi deliberatione sibi statuendum putent, omnia prorsus, etiam

mortis

mortis pericula paratissimo animo subire potius, quam fideles, Christi sanguine redemptos, ac sibi precipue in curam traditos, in summa penè omnium adiumentorum necessitate deserere.

4 Reliqui etiam Sacerdotes, & Clerici, qui Ecclesiæ stipendio aluntur, ut Dei laudes concelebrent, precesque pro populo adhibeant, tunc maxime intelligent, sibi in statione, & quasi in perenni vigilia quadam Sacerdotali, & Clericali manendū esse; cum diuinæ iræ placatio exoretur oportet, supplicationibus, litanijs, sacrificijs, frequenti sacramentorum usu, & alijs Christianæ religionis ministerijs, quæ potissimum sacerdotalis officij sunt.

5 Populus uerò non modo longius à patria, quæ una omnes omnium charitates complectitur, non refugiet; sed præ illius amore persistet; hocque unum sibi præscribet, ut ereptis in orbem erroribus, conuulsisque uitiorum seminibus, unde pestiferam labem, atque exitium comparatum esse existimare debet, criminum, & peccatorum, quæcumque conceperit, admiserit, uerè sanctèque pœniteat, & uitæ emendandæ propositum, fixa deliberatione suscipiat, supplex item quàm frequentissimè ad Deum confugiat, qui in medio etiam nubis, & afflictionis arcum propitiationis suæ ostendit, funestaque ærumna oppressos, suæ itè diuinæ benignitatis ope subleuat.

Episcopi sollicitudo in orationibus publicis.

Cap.

V.

S Y M M A R I U M.

- 1 Processiones triduanæ ab Episcopo indicendæ.
- 2 Et qua humilitate agendæ.
- 3 Oratio quadraginta horarum celebranda; in qua sermo singulis horis habendus.
- 4 Peccatorum confessio, & communio.
- 5 Processiones uniuscuiusque Collegij.
- 6 Statio certarum Ecclesiarum.
- 7 Oratio matutina, & vespertina.
- 8 Oratio sine intermissione.
- 9 Litanie quotidiana.
- 10 Ieiunium, feria sexta, & Sabbatho.
- 11 Benedictio ædium.
- 12 Littere ad Metropolitanum, & alios Episcopos.

Iam